



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 39. in neglectores concionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XXXIX.

In neglectores concionum.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Cum turbæ irruerent in IESUM, ut audirent verbum DEI.

Lucæ 5. v. 1.

§. 1.
Ingens pa-
sim tepor
in concio-
nibus au-
diendis.



Tupete admirabilem popelli fervorem in verbo DEI excipiendo! ædibus & urbibus suis excurrunt, maris littora petunt negotijs omnibus sepositis, periculis omnibus neglectis ad Iesum properant verbi divini desiderio inflammati. Non currunt, ut miracula videant, sed ut audiant verbum salutis; non conveniunt ut à languoribus corporis perfanentur, sed ut animæ suæ medicinam recipiant, nec currunt tantum, sed irruunt in Christum, inque compressione populi frequentissima, stant nihilominus immoti & audiendo perseverant. ò turbæ! quàm vereor, nè in die iudicij contra plurimos Christianos insurgatis, eosque Ninivitarum suffragijs adjuti accusetis, condemnetisque, quòd verbi audiendi gratiâ pedem movere, templum adire, per horulam sedere, tacere, vigilare detrectent. non desunt hæc temporibus populo Christiano conciones, sed ipsi concionibus desunt, fortè & de hac urbe dici potest, quòd Florentiæ Saracenus auditâ concione illacrymans dixit; si hæc concio Damasci audiretur, ubi degunt centum millia hominum, superos in-

ferosque contestor, facillè octoginta quinque millia ad fidem & salutem converterentur, ubi hic nec octo quidem. Talis est infelicis ævi nostri assuetudo, ut ipsa concionum assiduitas vilescere faciat conciones & rarescere auditores. Concionetur hodiè denuò Vincentius Ferrerius, videbimus, utrum habeat iterum octoginta millia auditorum, quæ nec templum, nec forum ipsum capiat. Dicat Antonius de Padua sub ardente sole, aut densa in pluvia, quot stabunt immoti? differat facundius quàm unquam Gregorius Nazianzenus, non referet id solatium, quod orat. 12. consignavit, se videlicet per plures horas auditum esse eâ attentione, ut nullum murmur, nulla tussis, nullus screatus, mussitatio nulla, nisi fortè erumpens quandoque gemitus audiretur. ò tempora! ò mores! in neglectores itaque & osores concionum feror hodie, ut cum ipsi ad audiendum verbum Dei nolint cum hodierna turba irruere, mea in illos hodie irruat oratio.

Apud Medicos morbus quispiam. *Marasmus* vocatur, quo affecti cibos usque adeò aversantur; ut nec odorem sufferre valeant, dicitentque mori se malle quàm comedere; inde fit, ut vix ossibus hæ-

§. 2.
Neglectores concionum gravissimo laborant ex morbo.

Cc 2

reant

reant, & tanquam incurabiles à Medico deferantur, nam ut ait Sanctus Gregorius, *horum profectò vita desperatur.* Marasmo in animo laborant, qui nihil de verbo DEI audire volunt, nec olfacere quidem cœlestis hujus cibi odorem sustinent, gravis est illis omnis mentio concionis, siquando super mensa à domesticis refertur, quid pro sacris rostris dictum sit, silentium mox indicunt, sermonem aliò derivant, & illud maledictorum judæorum

Ioan. 6. v. 61.

repetunt: *durus est hic sermo*, gravis est fermocinator non modò ad audiendum, sed etiam videndum. Ex quo indicio indubitè colliges proximos illos morti & inferno esse, uti Psaltes prædixit psal. 106. *omnem escam abominata est anima eorum, appropinqua verunt usque ad portas mortis.* animarum esca est verbum Dei devotè auditum, attentàque consideratione digestum, quam escam quisquis abominatur & rejicit, morti magnis passibus appropinquat, *gravis morbus*, exclamat Cassiodorus in cat. psal. *Execranda calamitas divinæ legis appetentiam non habere. nam unde possit vivere, si suam vitam cepit non amare?* quàm chara nobis vita, tam chara sit auditio verbi, nè Christus animarum Medicus nos deferat, & ad portas mortis seu inferni, ut explicat Sanctus Ambrosius in c. 9. Luc. nos devolvi patiatur. Tam enim severus in Concionum neglectores Deus est, ut non tantum permittat illos perire, sed insigniter perire & extraordinariâ viâ ad orcum properare, prout ex verbis iusti Judicis ps. 80. v. 12. & 13. colligo: *non audi-vit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adin-ventionibus suis.* Tremenda omninò pœna, & ipsâ subitanè & præproperâ morte ac

damnatione gravior, permitti à DEO secundum infruniti cordis desideria, ut exquisitè sint reprobi, & profundissimum infrà Turcas & gentes infernum mereantur. *ibunt in adin-ventionibus suis*, idola sibi mirabilia fabricabunt, idæas novorum scelerum procudent, novas irritandi Numinis artes inventient, & hoc unicè ideò, quia non audierunt vocem Verbi, non intenderunt Deo per os Concionatoris verba vitæ loquenti.

Primo Reg. 3. claram vocem Dei Samuel audit, Heli non audit, quia Samuel vigilabat, Heli stertebat, ita innumeri non audiunt verbum Dei, quia pravis consuetudinibus indormiunt, vel quia sibi ipsis plus nimio sapiunt, & parvuli in oculis suis esse nolunt. Revelantur enim parvulis & absconduntur sapientibus secreta cœlestia. multi ut Heli nihil vident, nisi lucernâ extinctâ, hoc est, suopte ingenio se omnia prævidere, & alienæ doctrinæ lumine minimè egere dicunt, quia cæci sunt, noctuæ sunt, filij Be-lial sunt. Ex hoc numero Pharisæi erant, qui non tantum Verbum incarnatum audire contemnebant, sed & populum simplicem, Verbi avidum auditorem idcirco maledicebant, quòd Christo adhæreret, & triduo subinde integro cibi potusque oblitus ab ore Christi penderet. En quid maledici loquantur, Ioan. 7. *Nunquid ex Pharisæis credidit in eum aliquis?* nemo, si unicum leprosum Simonem excipiam, de quo dubito, utrum non crediderit, cum audierit Verbum Dei Luc. 7. *Simon habeo tibi aliquid dicere.* cæteri non crediderunt, quia non audierunt: *fides enim ex auditu.* quis ergò credidit: loquantur ipsi: *sed turba hæc, quæ non no-vit legem, maledicti sunt.* ita maledicæ linguæ, in quas cum Augustino exclamemus?

§. 3.

Similes sunt cæcipienti Heli & cæcissimis Pharisæis.

in

in me sit hæc maledictio, à malo enim maledici benedictio est. non maledicti sed benedicti sunt, qui audiunt & credunt, è contra verò certissimæ maledictioni obnoxij, qui tempore concionis vel in popina potitant, vel biblia domi suæ corrupta legunt, vel rationes componunt, vel spatium pergunt. cõtra quos Deutero. 28. fulminat Deus: si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in civitate, maledictus in agro: maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.

§. 4.
Non ita animam penetrant lecta, sicut audita.

Nemo egrediatur idcirco ex Ecclesia, ut Domi suæ postillam evolvat, vix enim ibi leget benedictionem, sed ibit in adinventionibus suis, certè si eadem omninò legas, quæ audis, non ita lectione aut repetitione, ut vivâ voce te moveri comperies. Petrus unicâ concione Act. 2. v. 41. convertit tria milia, & quidem pleròsque Christicidij complices, & effusi innocentissimi sanguinis reos, ex quibus vix unus fortè conversus fuisset, si eadem legisset in biblijs, quæ ex ore Petri accepit. Paulus Doctor erat Scripturæ, nec tamen inde conversus est, at postquam breviculam Verbi Incarnati ex cathedra nubium concionantis, imò tonantis vocem audivisset, in alium virum abijt Act. 9. Thomas easdem de resurrectione Dominica figuras legerat, quas Dominus Dominicâ resurrectionis allegarat, sed quia vivæ voci non interfuit, ab interitu parùm abfuit. Nabuchodonosor vidit impendentia sibi mala, nec tamen respuit, at ubi concionem Danielis audijt, conversus salutis suæ spem reliquit. Quod si concionem Danielis contempnisset Nabuchodonosor, concionem Christi Thomas & Saulus, concionem Petri in pentecoste tria milia, fortasse æternum perissent. Conculcatus est Dux ille, qui Elisæi

concionem derisit 4. Reg. 7. & merito conculcatus in portæ introitu, quia & ipse verba concionatoris in aures & animum non admisit, sed in aurium ostio conculcavit; conculcantur similiter ab Angelis & dæmonibus, qui in verbi divini contemptum se templo proripiunt, aut pedem in Ecclesiam audiendi verbi gratiâ movere renuunt.

Damnatus Epulo rogat Abrahamum, ut mittat Lazarum ad quinque superstites fratres, ad prædicandum ijsdem supplicium Epulonibus, nè & ipsi in locum tormentorum venirent Luc. 16. ecce damnatus rogat concionem fieri fratribus suis, nè damnentur, & audebit quis dicere, concionem non esse necessariam, ab eaque concives suos abstrahet? næ ego dæmonis vices gerentem dixerò, quisquis alterum ab auditione divini Verbi velut Judam Sathanas abstraxerit. Si enim Chrysostomus homil. in c. 12. Matthæi dicere ausus est, advocatum diaboli egisse illum, qui tempore concionis Christum intentione ut videtur non malâ admonuit, de sanctissima Matre præ foribus stante, filii que audientiam præstolante: *adhuc eo loquente dixit ei quidam: ecce mater tua & fratres tui foris stant* Matth. 12. v. 47. in quæ verba Chrysostomus: *venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur*, quantò magis diaboli advocatum agere cõsensus est, qui non tantum sacrum interturbat Oratorem, sed ab audiendo Dei verbo abstrahit auditorem. pendet non rarò ab unius auditione concionis salus hominis æterna, quam proinde neglexisse, est damnationis suæ initium fecisse. Initium salutis in Magno Antonio fuit audivisse concionem univocam, cujus Thema erat: *si vis perfectus esse, vade & vende*, hæc mihi dicit

§. 5.
Neglectores concionum damnatione epulone detiores.

dicit Dominus & Deus meus, ergò ibo, vendam, sequar vocantem. Initium Seraphicæ conversionis in Francisco fuit vox illa pro concione audita: *nolite possidere aurum neque argentum*. Simeonem Styliten hæc vox: *beati qui lugent*, annos octoginta stare fecit in columna. Babyas Mimus audît pro rostris repeti: *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*: & compunctus tantoperè fuit, ut rediit domum, concubinis duabus valedixerit Monachus futurus. initium è contra damnationis in quàm plurimis fuit eritque Verbum Divinum non recepisse. Sicut enim teste

Ioan. I. v.
12.

Ioanne *quotquot ceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, & teste Lucâ glorificabant Verbum Domini; quotquot erant præordinati ad vitam æternam* Act. 13. v. 48. ita vicissim quotquot Verbum non recipiunt, non glorificant, non concupiscunt, imò negligunt, exhibent, conculcant, præcisi sunt ad mortem. Cainum, Pharaonem, Achabum, sexcentosque alios facile adducere, nisi brevitati temporis confulere, satius foret.

§. 6.
Similitudines verbi divini.

Qui congruè nôsse vult neglectarum damnatum concionum, in mentem obiter revocet, quibus Dei verbum similitudinibus in divinis literis effertur. Verbum Dei cibus est, Medicamentum est, Aqua mundans est, Vita animæ est, semen est salutis. quàm necessarius homini quantumvis sanissimo est cibus, infirmo pharmacum immundo aqua, morienti vita, agro semen, tam necessarium est Verbum divinum omnibus vivere volentibus in Christo. *cibus mentis est verbum Dei*, inquit Sanctus Gregorius conformiter ad id Sap. 16. v. 26. *Sermo tuus pascit homines*, unde & Christus tentatori Matth. c. & v. 4. reposuit: *non in solo pane vivit homo*, Medica-

mentum vocatur à Davide & Salomone ps. 106. v. 20. *misit verbum suum & sanavit eos*, & Sap. 16. v. 12. *neque herba neque malagma sanat peccatores, sed sermo tuus*, qui sanat omnia peccati vulnera. Aquam mundam Joël pronunciavit, & Veritas ipsa contestata est Ioann. 15. v. 3. *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. vitæ quoque appellationem idem Salvator verbis suis indidit: *verba quæ locutus sum, Spiritus & vita sunt* Ioann. 6. v. 64. hinc & os iusti *vena vitæ* prov. 10. v. 11. appellatur. Semini idem verbum à Verbo incarnato assimilatum legimus Luc. 8. *Semen est verbum Dei*, sine quo ager humani cordis, nil nisi zizania germinabit. ut proinde in neglectores divinæ fementis iacta fuisse videatur illa irati Numinis maledictio: *maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*.

Gen. 3. v.
18.

Quàm necessaria in medijs noctis obscurissimæ tenebris lucerna ardens, tam necessarium nobis in densa cœcitatibus humanæ nocte est Verbum divinum, ad quod anhelavit, qui dixit: *lucerna pedibus meis verbum tuum. Et lumen semitis meis* ps. 118. v. 105. quàm necessarius militi est gladius, tam necessarium homini, cuius vita militia, est verbum Dei monente Paulo Eph. 6. v. 17. *assumite gladium Spiritus, quod est Verbum Dei*. Dedit Ieremias supplici suo clienti Judæ Machabæo gladium 2. Machab. 15. & victoriam promisit: *accipe gladium sanctum munus à Deo, in quo dejicies omnes adversarios tuos*; quod & reapse Judas præstitit, & milites suos cohortatus ad pugnam, pollicitusque indubitam victoriam, non aliâ eos armaturâ induit, quàm gladio Spiritus teste scripturâ: *armavit Judas suos non clypeo & haste munitione, sed sermonibus optimis & exhortationibus*

§. 7.
Verbi divini necessitas.

bus. Hunc gladium Iesus ipse venit in terras mittere, docuitque exemplo suo pugnare, vincere, triumphare.

S. 8.
Neglectores concionum iudicio Drexelij pellimi & reprobi sunt.

Vix quidquam severius ac nè verius quidem in neglectores divini Verbi dici potest, quàm quòd doctrinâ & sanctitate celeberrimus Drexelius dixit: *affirmatè ajo, quisquis sacras conciones temerè negligit, certè intus & in cute nequam est, & scetet peccatis. nulli, qui conciones negligunt, sanctè vivere possunt. infallibilia enim sunt illa æternæ Veritatis verba Ioann. 8. propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si ex Deo non sunt, ergo reprobi, ergo vitij ultra aures pleni, ergo desperati sunt, sicut vicissim manifestam salutis spem habent, qui quidvis aliud negligere malunt, quàm Verbum Dei. affecurat ejusmodi Sanctus Hieronymus, quod prædestinationis tesseram circumferant: nullum est majus prædestinationis signum, quàm libenter audire verbum Dei. quid ô Hieronyme!*

nunquid majus est frequenter communicare, devotè orare, eleemosynas elargiri? negat Sanctus Hieronymus & cum eo Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioann. c. 11. audacter pronuntians, & Judæ exemplo demonstrans, magis satagere dæmonem, ut à concione homines, quàm à Sacramentorum perceptione impediatur, avertatque, *inter ea quæ fiduciam præstant, inquit Sanctus Bernardus ferm. 1. in septuag. & materiam spei unum illud maximum est: qui ex Deo est, verba Dei audit. & infert contra neglectores: in his ergò salutis signa non video, magis autem vereor, nè fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. His quid vehementius dicam non habeo.*

* * *
* *
*



PHILIPPICA XL.

In Pseudopoliticis.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi abunda veritatis vestra plusquam Scribarum & Phariseorum non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. v. 20.

S. I.
Pharisei multos Christianos in exercitio bonorum operum superabant.

Fallar! nisi plerique Christiani omnibus deteriores Phariseis, atque hi præ illis in Sanctorum censum referendi sunt. Quod nè audaciùs quàm verius à me dictum videatur, ad opera Pha-

riseorum provoco, ex quibus cognosci possunt. Eleemosynas illi immensas erogabant, ad easque recipiendas tuba convocari pauperes faciebant, decimarum redditotes accurati, in gazophylaciù templi grandia inferebant donaria; Christiani è contra aures non rarò claudunt,